














IOANNIS COTTVNII ORATIONES TRES.

Quarum

Duæ ſunt Academicæ,
Vna, de formis Rerumpublicarum,
Altera, de Vera Nobilitate,
Tertia verò eſt Liminaris ad Philoſophiam.



ORATIO LIMINARIS,

HABITA A PERILL. ET EXCELLENTISS. D.


IO. COTTVNIO VERIENSI,

Philosoph. Med. & Sacr. Theolog. Doct. Equiteq; aureato S. Georgij, & in Patauina Academia Philosopho Primo.

ILLVSTRISSIMIS, ET EXCELLENTISSIMIS PATAVINI LYCOEI MODERATORIBVS.

A

Natione Græca Patauii degente ceu deuinctæ mentis tabula humiliter oblata.



Patauii, Ex Typographia Pauli Frambotti. M. DC. XXXVIII.

Superiorum permissu.

ILLVSTRISSIMIS
ET EXCELLENTISS.

Patauini Gymnasij Moderatoribus

D. D. D.

FRANCISCO MAVROCENO D. M. PROCVR.
BAPTISTÆ NANNIO } SENAT. AMPLISS.
HIERONYMO TREVISANO } SENAT. PRÆST.

DOMINIS, AC PATRONIS

enixè colendis.

Perpetuam fœlicitatem P.



Vam nuper Excellentiss. Cottunius Orationem publicè habuit, oculis hominum subiicere visum est, vt quas ille è suggestu pro adepta Suprema Philosophiæ Exedra, Æternæ ac Serenissimæ Reipublicæ Venetæ grates egit, tum a parente Græcia, tum ab Orbe terrarum vniuerso exaudirentur. Eam celso vestro nomini, Illustrissimi & Excellentissimi D. D. D. humiliter sacramus, qui & antehac innumera beneficia in gentem nostram plena manu congessistis, & nunc honorum Coronidem, & Colophonem imposuistis, vt summa cum ratione Gens nostra vniuersa Celsitudines Vestras, ceu benefica quædam, ac tu-

tutelaria sui numina colat, obseruetque. Interea nouam hanc obsequii nostri tesseram hilari, qua soletis, fronte aspicite, dum nos summis cum Deo precibus agimus, ut Celsit. VVV. incolumes, sospites, omnique bonorum affluentia in dies magis magisque auctas quamdiutissimè seruet.

Patauii a Partu Virgineo M. DC. XXX. VII. Calend. Nouemb.

Illustriss. & Excell. Celsit. VVV.

Humillima, & addictissima

Natio Græca Patauij degens.

ORA-

ORATIO LIMINARIS,

HABITA IN PATAVINA ACADEMIA.

A IO. COTTVNIO VERIENSI.

Dum ab Æterna, ac Serenissima Republica Veneta, ad Primam Philosophiæ eiusdem Academiæ Exedram fuit evectus.



IVcunda mihi, & cunctis clarior emicat hæc dies. N.N. dum superno, atque Aeternæ Reipub. Venetæ psephismate ad supremam Philosophiæ Exedram in hoc gloriæ, ac immortalitatis Lycęo honorificentissimè efferor.

O qui[a] *perpetua Mundum ratione gubernas, Terrarum cælique sator*, quàm abdita, recta, immotaq; sancita tua. Tibi, in omnes æternitatum myriades excelso laus, & honos: Tu mentem quoque, & linguam mihi dirige, vt ex hoc sublimi dicendi, ac docendi suggestu, vera, & salutaria videam, dijudicem, promam; atque vel tantillum eloquentiæ favum in pectus instilla, vt quas perpetuò Aeternæ, ac Sereniss. Reipub Venetæ habiturus sum grates, pro tam eximio in me collato beneficio, (sic enim demandatam mihi prouinciam lubeat interpretari,) nuc in hoc frequenti honestissimoque consessu dicendo re-

[a] Boet. lib. 3. metr. 9.

pendam. Porrò beneficium omne *b* tria ſpectat: Quis dat, Quid dat, Cui dat. Quæ quidem acer Beneficiorum æſtimator Seneca, eleganti *c* Chryſippi ſimilitudine de pilæ luſu illuſtrat; quod quemadmodum eius concinnitas mittentis æquè, ac repellentis dexteritate conſurgit, & alterutrius vitio cadit, ſic beneficii ratio, niſi vtraque perſona, dantis, & accipientis aptetur, nec ab eo exibit nec in illum perueniet, vt debet. Quæ tria dum paucis in præſenti munere perpendo, ſpero, fore vt, qua ſemper in omnes ex hoc loco dicentes humanitate extitiſtis, qua me ipſum anteactis temporibus in hoc veſtro litterarum Emporio benignitate, animique attentione cohoneſtaſtis, eam nunc de præclariſſimis rebus dicturo præſtetis.

b Ariſt. lib. 8. Ethic. cap. 15.
c Senec. lib. 2. de Benef.

Dedit beneficium iſthuc, Aeterna, ac Sereniſs. Reſpub. Veneta, quam dum mentis acie domi, militiæq; perluſtro, tam ampla, & varia eius laudum ſeges, tot præclara, maximèque laudabilia, & pacis, & belli temporibus facinora vnà ſe mihi obijciunt, quæ ſui delectum ita reddunt perdifficilem, vt exitum dicendi facilius, quàm initium ſit inuenire; vt cum Homerico Vlyſſe exclamare cogar,

Homer. Odyſſ. λ. ſiue l. 11

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

Quid primum, quid mox, & quæ tandem vltima dicam.

Enimuerò ſiue communem loci poſitionem ſpectes, cæleſtis *d* ſitus ad longitudinem quidē incidit in gradum trigeſimum quintum, ad latitudinem verò in gradum quadrageſimum itidem quintum, eoque præclara Vrbs Veneta *e* in quinto climate collocatur, quod a Ptolemęo inter maximè temperata reponitur; vnde cæli clementia, aeris ſalubritas, Soli vbertas, rerum omnium copia ſin-

d Ioan. Ant Magin. & Andr. Argol in Eph.
e Ptol. lib. 1. Geogr.

ſingularis. Siue eius perpendas Horoſcopum, eſt *f* Cancer, qui cum ſit *g* ſignum, vt aiunt, mobile, & cardinale, tribuit agilitatem, negotia, rerumque affluentiam: cum ſit ſedes ac domicilium *h* Lunę, elargitur beneuolentiam, affabilitatem, & publicam comitatem: cum ſit Iouis exaltatio, *k* præbet Iuſtitiam, animi magnitudinem, prudentiam, virtutem: cum denique ſit Martis trigonus, dat fortitudinem, vigilantiam, conſilii firmitatem, calliditatem. Quæ omnia in Venetis nemo veſtrum non luculenter introſpicit. Si dein eius ortum, ac natalia collimari lubuerit, ita in Vetuſtatis maieſtate abduntur, vt nemo ad hanc *m* vſque diem certum eius conditorem indicarit. Quippe haud ita facile in eam quiſquam iuerit opinionem, quod fauſta, & auſpicata Venetiarum initia, furente per Europam Attila Humorum Rege ſint iacta, præſertim cum præclarum Venetiarum nomen, & gens etiamtum memorabilis, ante Virgineum partum ſexcentis viginti, atque adeò ante Attilam mille, & eo amplius annis celebrata in hiſtoriarum monimentis inueniamus. Magnum eſt, Aud. Opt. quod dico: verùm quàm verè dicam, quæſo, vt adhuc feciſtis, attendite: Herodotus priſcarum rerum ſcrutator grauiſſimus, & qui a veſtro Tullio *r* antiquæ Hiſtoriæ pater haud immerito nuncupatus eſt, expendens *p* Babyloniorum circa nuptias ritus, ait, eaſdem nuptiarum cærimonias, ac inſtituta obſeruari à Venetis, qui prope Illyricum degunt. Sic ille ſua lingua; νόμοι δὲ αὐτοῖσι ὧδε κατεςέαται, ὁ μὲν σοφώτατος, ὅδε κατὰ γνώμην τὴν ἡμετέρην, τῷ, καὶ Ἰλλυριῶν Ἐνετὸς πυθάνομαι χρῆσθαι. κατὰ κώμας ἑκάστας ἅπαξ τοῦ ἔτεος ἑκάστου ἐποιέετο τάδε. Quæ Latinis auribus ita ſonant *Leges autem ipſis hoc pacto conſtitutæ ſunt. Vna quidem, vt*

f Gaſpar. Naibod. ad lib. 4. Quadr.
g Ptol. lib. 2. Quadr.
h Idem Ptolem. lib. 4. Quadr. cap. 1. 3.
k Ibid.
m Bern. Iuſt. li. 1. de Orig. Venet. pag. 5.
r M Tul. lib. 1. de leg.
p Herod. in Clio, ſiue li. 1. prope finem. Et Bern. Iuſt. li. 1. de Orig. Ven. p. 9

meus fert animus, sapientissima, qua etiam Venetos, qui ad Illyrium sunt, audio uti, ut ad vicos singulos semel in singulo quoque anno hæc fiant, &c. At verò Herodotum ante Deiuirilem Virginis partum annis *t* sexcentis viginti, Attilam verò ab eodem partu annis quadringentis sexaginta viguisse, nemo est in Historiis vsque adeò tyro, quin sciat: ideoque præclaræ gentis Venetæ, etiamtum magnæ ac memorabilis nomen, & instituta, cum Babyloniis collata, ante Attilam annis mille supra octoginta celebrentur. Quid verò? Aud. Opt. neque Venetis illis *x* olim ad Britanicum Oceanum expositis, neq; Paphlagoniæ *a* populis Venetis dictis, primordia hujus Vrbis absolutè concesserim, quamquam haud ægrè dederim conspicaciora, quòd expulsis Euganeis, dextro quodam sydere sedes hic suas collocarint. Nam si priores illinc habitantes extruserunt, qui vnquam illi prima eius initia fecerunt? Quare ne diutius hac in parte vagetur oratio, excipite, si lubet, Actium Syncerum Sanazarum, qui venusto, ac opulento illo Hexasticho, quo Vrbem Venetam cum Roma conferens, concludit,

t Gilber. Geneb. in Chronolog. ad orig. Mundi 3690. Et Aug. Tornell. in anni succ.
x Diod. Sicul. libro 1
a T. Liu. lib. 1. ab Vrb.

Si Pelago Thybrim præfers, Vrbem aspice utramque:
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

Sanazarus in Epigr.

Iam verò si eam gestientem contemplamur, (quam æternam, in diesque, *qua Sol, b habitabiles illustrat oras*, auctam Dei indulgentia seruet) pro mœnibus *c* vndis cingitur, in salo insidet solum, in lubrico, & instabili fundo, fixæ atq; ingentes eriguntur moles, tota cymbis æquè ac pedestribus peruia, natantibus iuxta ac habitantibus apta, munitissimis vicis referta, amplissimis expansa plateis, innumeris ædificiorum Mausolæis ornata, turribus sydera

b Horat. *c* Carm. Od. pen.

Describuntur Venetiæ

ſydera pene pulſantibus decorata, vltra quadringentis pontibus munita, quauis armorum inſtructa acie, quocumq; copiarum genere armata, omnigena rerum vbertate ad miraculum vſque conferta, vt ſumma ille cum ratione a Leone Decimo, quid Venetiis vidiſſet, interrogatus, retulerit, Vidi miraculum ſupra miraculum. Et Paulus Merula, ſingularis Orbis terrarum deſcriptor, *d* verè & grauiter hæc omninò conſignet litteris. *Venetiarum Vrbs hodie omnium clariſsima eſt, & florentiſsima, Mundi Theatrum, commune totius Orbis Emporium, Victrix, domitrixq; tot tantorumque Hoſtium, Hadriatici Regina Maris, Italici nominis gloria decuſque. Quamuis multa bella geſſerit, variamque fortunam mille annorum ſpacio ſit experta, in externi tamen Hoſtis poteſtatem nunquam deuenit.*

d Paullus Merula l. 4. p. 1331.

Poſtremò, dum incolarum, ac præſertim Patriciorum cætus innumerabiles ſpecto, ſuccurit Cineas ille Pirrhi Epirotarum Regis ad Romanos orator, qui altero poſtquam die Romæ fuerat, vniuerſum Romanum Senatũ, & Equeſtrem ordinem ex nomine fertur ſalutaſſe, Regique poſtea ſuo retuliſſe *f*, *Romanum Senatum viſum ſibi quoddam ſacrarium, & multorum Regum concilium.* Quid ſi celſum, (vt reliqua ſileam) ac multa maieſtate verendum Senatum Venetum conſpexiſſet? Verum profectò Sacrarium, & multorum Regum conuentum longè potiori ratione pronunciaſſet: Cuius quidem prudentiſſimi Senatus conſulta, æquiſsima monita, ſacratiſsima inſtituta, ſanctiſſimas leges, religioſiſſimos ritus, incomparabilem commixtæ Ariſtocratiæ ideam, æquum, ac ſuaue imperium, lubens oratione proſequerer, ni me inuidæ vrgerent temporis anguſtiæ. Vnum planè aureum, &

f Plutar. in vita Pirrhi. Et Ioan. Tarcag. lib. 23.

bra-

bracteatum D. Thomæ effatum, quin in medium afferam, temprare mihi non possum, qui quidem in libro de Principum Regimine hæc omninò, ceu ex alta quadam specula cunctis inclamat. *In g partibus autem Liguriæ, Æmiliæ, & Flaminiæ, quæ hodie Lombardia vocatur, nullus principatum habere potest perpetuum, nisi per viam Tyrannicam Duce Venetiarum excepto.* O exceptionem pulcherrimam, ò vocem Angelico ore dignam, ò præclarum vnicæ Vrbis præconium, omni æternitati commendandum. Videtis Aud. Opt. Quis præsens Exedræ beneficium dedit? Dedit autem per Heroas eximios, omnique laude cumulatissimos, Illustriss. & Excellentiss. FRANCISCVM MAVROCENVM digniss. D. MARCI Procuratorem, tutelare, & faustum Græcanicæ Nationis numen, & quouis maiorem præconio: Illustriss. & Excellentiss. BAPTISTAM NANIVM, incomparabile æternæ Reipublicæ lumen, & columen, viuum probitatis prudentiæ, omnigenæque virtutis exemplar: Necnon Illustriss. & Excellentiss. HIERONYMVM TREVISANVM, verè inter magnos maximum, virum omnium domi forisque virtutum. *Non ego vos*, vt cum Horatio *m* dicam, *meis chartis inornatos sileri patiar impugnè carpere liuidas obliuiones*. Si itaque multa intercapedine præstabilius est, a magno aliquo quicquam donari, quàm a quoquam alio notæ inferioris, perpendite, quanta sit in dato munere laus, cum in eo, qui dedit, tanta sit dignitas.

g D.Th. lib.4. de Regimē Principū ad Regē Cypri, cap. 8.

m Hor. libro 4. Carmin. Ode 9.

Venio nunc ad alterum quod proposui. Quid dedit. Supremam Philosophiæ Exedram in Patauino Lyceo. Ita colligite: Inter omnes Orbis terrarum plagas, Europa me-

merito ſuo geſtit princeps: inter huius oras Italia: inter omnia Italiæ Athenæa, Antenoreum caput effert, adeò vt quod olim de Græcia, & Athenis dictitatum fuit, ὡς ἡμῶν ἑλλὰς ὀφθαλμὸς κόσμου, αἱ δὲ ἀθῆναι ὀφταλμὸς ἑλλάδος quod Græcia eſſet oculus Mundi, Athenæ autem oculus Græcię, huc cadat, quod Italia eſt Mundi oculus, Patauium verò Italiæ ocellus: inter principes verò huius Athenęi litterarias ſedes, Prima Philoſophiæ habetur eximia: eximiam ergo, ac principem Orbis totius Exedram dedit. Deinde, Quis inter publica hæc ſubſellia non illud æſtimatione præire putet, cuius facultas, atque profeſſio dignitate antiſtat? Quis autem dubitet, quin Philoſophia ita ſit omnium doctrinarum, facultatum, ingenuarumque artium procreatrix, ac moderatrix, vt cunctę eius ope atque præſidio apprimè indigeant, eaque affatim deſtitutę veluti in illuni nocte obuerſenter? Quod cunctis in propatulo ponerem, ni id multis alias pręſtitiſſem. Verum ne mea quàm par eſt, longior excurrat oratio, eam tertium propoſitorum iam vocat.

b Vetus de Gręcia, & Athenis dictum.

Cui dedit? Io. Cottunio, natione Græco. Rependit, opinor, Gręciæ nutricalia, & ἀντιπελαργεῖ hac in parte ęterna Reſpublica; quę merificè Gręcas immitis Otomanni reliquias fouet, & blando benignitatis complectitur ſinu. Excipite cogitatione quàm honorificè eius Nationis hominibus in Regia ſua indulget, quàm validè tuetur extra. Recolite, quàm munifico apparatu, quàmque ſplendida munificentia munitiſſimam illam arcem, ac nullis vnquàm ceſſuram viribus Corcyram ornat, tuetur, conſeruat. Quid Dulichium nobile, & nemoroſam Zacinthum? cui, vt reliqua ſilentio voluam, ſuperiori,

ri, qui ſe proximè conuoluit, atque elapſus eſt, anno, di- ra terrarum concuſsione dirutę, atque euerſæ, ita huma- niter ſuccurrit, vt omnigena etiam cęmenta, quibus illa reficeretur, illuc tranſmitti curarit? Quid Inſularum principem Cretam? quę ſi centum k olim geſtiret Vrbi- bus, nunc totis præclarorum virorum centurijs fulget; ſi quondam Iuſtitiam in ſe pene natam, quod ab Rege Mi- noe leges accepiſſet, gloriaretur, nunc fęlici, ac fauſto Venetorum imperio gubernata, eam ipſam Iuſtitiam in ſemet regnantem experitur; expertura etiam, quod om- nes votis, ac vocibus expetimus, vt cum Homero dicam,

k Virgil. Aen l 2. Et Hor. l. 3. Car.

Εὐτ᾽ ἂν ὕδωρ τε νάῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ,
Ἠέλιός τ᾽ ἀνιὼν λάμποι, λαμπρά τε σελήνη,

Homer. in Epitaphio Regis Medę.

--------- dum vnda fluet, dum ſylua virebit.
Dumque oriens cælo Phœbus, dum Luna micabit.

Reliqua verò Gręcia, prò dolor, immani Turcarum concrita barbarie gemit, & gemit inconſolabiliter. Re- cordatur vniuerſa Peloponeſus, delicatiſsima Cyprus, o- pulenta Theſſalonice, & magna alia Gręcię pars, fęlicium illorum temporum, cum placidiſsimis Aeternę Reipubl. Venetæ habenis flecterentur: ſupplicesque ad cęlum ten- dunt manus, ſpeque benigna fruuntur, fore, vt illa ea- dem tempora reuertantur. Sed quò feror? Vela ora- tionis contraho, tametſi citatiſsimo curſu ad plura, & immenſa feſtinet.

Et quod noſtrę opis eſt, ęternæ ac Sereniſs. Reipubli- cę Venetę, pro tam eximio beneficio in me, ac meam gentem collato, ex intimo animi receſſu gratias ago: ita tamen, vt apud Deum fieri amat, ſentiendo copioſius, quàm loquendo. Atque non modo in hoc Europę Thea-

tro,

tro, qui locus horrore tranquillo, *m* & pauore venerabili raro eundem animum, & vultum præstat dicenti, sed vsquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cætu hominum, tum ipse mecum, & cum voce patui, & cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu, & tempore. Nec mirum si ego terminum non statuo tam grata profitendi, cum ea finem facere nesciat Græcanicam Nationem honorandi. Vobis etiam, Illustriss & Eccellentiss. huius Vrbis moderatores, fulgentissima Reipublicæ sydera, singularia Heroicarum virtutum monimenta, viua prudentiæ, Iustitiæque exempla, quòd meam hanc actionem iucunda præsentiæ vestræ luce illustrare, ac condecorare dedignati non estis, immortales quas semper habebo, gratias ago; relaturus etiam si vestra fortuna exigeret remunerandi vicem, vel nostra suggereret restituendi facultatem: sed vestra beneficia vt maiestate præcellunt, ita mutuum non poscunt. Tum vobis Patres Eccellentiss. & Iuuenes studiosissimi, quorum vtilitati allaboramus, & quorum iuuandis studiis opera nostra destinata est, vobis inquam, omnibus, quotquot adestis

m Ausonius in Orat. ad Traianũ Imper.

Lætus, lubens, laudes ago, grates, gratiasque habeo. Plaut. Trin.

Dixi.

In laudem Dei Benedicti, & Deiparæ Virginis.